AUSPICATUM
INEUNTIS ANNI
PRINCIPIUM, PROGRESSUM, FINEM
MAGNIFICO NOBILISSIMO
DNO. JOANNI NAPS,
REGIO BURGRABIO
ET
REIP. THORUNIENSIS PRÆCONSULI.
ITA OMINABATUR
G. WACHSCHLAGER.

Sol qvi citatis orbibꝰ rotas urgēs,
Metiris orbem, semitamqve convexi
Spumantibus calcas eqvis, triumfanti
Impone Sertum vertici, coronamqve
Auro gravem gemmisq; solve divinos
Crines, caput sacrum repecte, finiti
Pensi labores dulce gaudium pascat.
Mortalium Sortis Tuæ comes pectus
Curas loqvaces mente pellit insomni,
Mœroris atri sedibus sedet flamma,
DicÆtna; sed non qvā Tonantis armata
Cyclops adortus Regiam movet dextra,
Sed qvam tremendo nutriit sinu Jova;
Dives fa[illegible]orum munerumq; fœcunda.
Hic ignis hæc sunt ætna qveis pluit saxis.
Certant calenti corde qvos ligat sangvis,
Blandæ maritus corporis sui parti,
Et hæc marito qvicqvid est boni, qvicqvid
Fortuna palma præpotente dispensat
Faustum, precatur; clamat impari natus
Lingva, Patrono se cliens probat, cuncti
Ardentibus gratum cor exhibent votis.

Multi feraci jactitant manu dona,
Strenasq; mittunt, qveis vetus qvasi legem
Dictavit usus, mascule fatigantur
Et qvisq; dulcem gloriæ cupit palmam.
Me perstrepentis suscitat sonus Mundi,
Et victimarum plena laudis incensa
Hortantur Exemplum seqvi, nec in tanto
[illegible]vore membris turpe frigus amplecti.
Jam Thura Mæcenas Tibi immolabantur,
Aurum, qvod ustus Sole, nudus & dives
Indus legit, seu volvit unda ludentis
Hermi, vel imprægnata rore coelesti
Qvicqvid repandit concha margaritarum.
Regina rerum denegavit optata;
Crudelitatem vindicabo Livoris,
Portans bonorum qvæ scelesta Sors liqvit
Partem: Calendæ Tot Tibi revertantur
Magnæ, qvot ingens machinæ globꝰ versat
Stellas, qvot æqvor piscium, ferarumq;
Sylvæ recessus claudit, exulet triste
Qvicqvid moratur liminis Tui florem.
Hæc nostra sunto, qvæ placere si possunt
Munera, s[illegible]mo verticis petam coelos.

THORUNII,
Typis excusa à JOH. COEPSELIO, Gymn. Typ. ANNO M. DC. LXXIII.